CCXXXI capitulum de imperio Federici vocando et sibi contemporanei, cuius prima pars de eius initio et conversione beate virginis Clare. Rubrica. f. 135

Federicus[a] postea imperavit. Vocatus enim a baronibus de consilio regis Francie Romam venit et a Romanis honorifice subscriptus est. Inde introivit Alemanniam et venit Constantiam. Cuius adventum sciens Otho sequebatur eum cum CC militibus. Iamque premiserat famulos et equos suos, in eadem[b] urbe ipsa die venturus. Quo cum Federicus urbem intrasset, Othone per III leucas distante, Otho ipse cum suis regibus[c] accessit Brisach, unde non minori dedecore est repulsus. Sed Federicus ibi, sic et ab aliis imperii baronibus est receptus. // Eodem anno Federicus iniit fedus cum rege Francorum, sicut exstiterat inter predecessores comune. // Eodem anno Sancta Clara vocata e.K.

Eodem anno virgo Clara Deo devota, preclaris in urbe Assisii ortis parentibus, reliquit seculum, ut imploret matri factum oraculum. Mater enim eius ortulana, dum eam gestaret in utero, devote ante crucifixum orans, ut eam salubriter de partus periculo exiperet, audivit vocem dicentem sibi: Ne paveas mulier, quia quoddam lumen salva partu(ri)es, quod ipsum mundum clarius illustrabit. Deoque natam puellam Claram vocavit. Edita quoque in lucem Clara ac morum et divinorum carismatum luce clarescens in tenera adhuc etate. Nam et manum libenter extendebat ad pauperes et delicata sua subtrahebat corpusculo et sub vestibus delicatis cilicium gerebat absconditum ac virginitatem suam Domino commendabat, vitiorum esse nescia laudari cepit. Audiens Tuscie celebre nomen

a) bis c.

a) littera initialis F deest.

b) die add. sed del.

c) suis eius

d) e add. sed del.